

testimonium ut firma et inconvulsa permaneant, praesentis privilegii scriptum nostro sigillo iussimus roborari. Actum et datum Mersburg anno domini M^o.CCC^o.LIIII^o. in die beati Vrbani. Et nos dei gratia Heynricus praepositus, Bodo decanus totumque Mersburgensis ecclesiae capitulum ut noster consensus praemissis appareat favorabiliter affuisse praesenti litterae sigillum nostrum duximus apponendum anno domini loco et die ut supra.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den wohl erhaltenen Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 111. 1355. 28. Juni.

B. Rudolf von Constantiana, Weibbischof zu Mersburg, weihet den Chor mit dem Hochaltar und fünf Altäre in der Thomaskirche und ertheilt den Andächtigen Ablass.

Nos frater Rudolphus dei et apostolicae sedis gratia Constantianensis ecclesiae episcopus ac venerabilis in Christo patris ac domini domini Henrici Merseburgensis episcopi in pontificalibus vicarius notum facimus universis, quod anno domini M^o.CCC^o.LV^o. cooperante nobis gratia salvatoris dominica die festum apostolorum Petri et Pauli immediate praecedente tempore praepositurae honorabilis viri domini Nicholai de Pesna consecravimus chorum ac maius altare monasterii regularium canonicorum in Lypzk in honore sanctorum Thomae apostoli Johannis apostoli et evangelistae ac Augustini episcopi et confessoris cum quinque altaribus in ipsa ecclesia, videlicet sanctae crucis, beatae virginis, sancti Michaelis, beati Martini episcopi ac sanctorum Felicis et Adaucti martyrum, transponentes dedicationem ecclesiae in dominicam proximam ante diem sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum dedicationesque altarium in singulas dominicas immediate sequentes ordine praenotato. Cupientes igitur ipsum locum congruis honoribus frequentari omnibus vere poenitentibus dictam ecclesiam devote accedentibus in anniversariis dedicationum seu festis patronorum praescriptorum nec non solemnitatibus nativitatis Christi, epiphaniae, paschae, penthecostes, corporis Christi, omniumque apostolorum ac aliorum patronorum altarium ipsius ecclesiae seu cappellarum eidem subiectarum, aut qui in ecclesia seu ambitu vel cimiterio per nos eodem tempore reconciliatis circueundo oraverint pro fidelibus defunctis, seu qui corpus Christi vel oleum sacrum secuti fuerint aut in trina pulsatione vespertina oraverint, vel qui suas elemosinas eisdem legaverint seu missae praefati domini praepositi devote interfuerint, nos misericordia dei confisi XL dies indulgentiarum et unam karenam pro singulis actibus gratiose eisdem relaxamus. Datum anno loco die quo supra nostro sub maiori sigillo.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Das abgefallene, aber noch vorhandene Siegel des Bischofs ist ziemlich wohl erhalten.

Vogel Leipz. Annales S. 45.